



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Lilivm Inter Spinæ**

**Sterre, Jean Chrysostome van der  
Antverpiæ, 1627**

Cap. X. Miro modo capitis eius scabies curatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43032**

## C A P V T X.

*Miro modo capit̄is eius scabies curatur.*

T<sup>A</sup>NGO rem breuiter , non perfunctoriè transeundam ; sed magna animi cōsideratione pensandam . Quantam enim curam de pueri sui puritate Pater misericordiarum gesserit , in hac re liquido apparebit . Contraxerat aliquando puer beatus , à patre & matre derelictus , sed à Domino Psalm. 26. assumptus , tantam capit̄is scabiem ; ut inter conscholares suos non posset sine verecundia comparere . Erant enim ei molesti , & deridebant eum : ( sicut esse solet illud genus hominum inquietum ) & puer , licet patiens & quietus , ad quotidianas subsannationes animo tabescet , & rubore verecundiæ vrebatur . Vedit itaque Dominus continuam afflictionem tam mentis , quam corporis , sibi pauperis derelicti , & mirabiliter in adiutorium pupilli Psalm. 9. fide-

*Sanatur  
mirabiliter  
scabies ca-  
pitis eius.*

\* *Forte  
deest an.*

\* *Forte pu-  
rulentam.*

fidelis adiutor intendit : nam nocte quadam , cùm corpusculum sopori dedisset , sensit leniter quoddam animal ( nescio \* reptile seu volatile ) aduenire , & rostro suo cum tanta cautela totam illam \* prurulentam scabiem amputare , vt nihil de ea residui remaneret , & puer Domini in illa corrosione nihil molestiæ sustineret . Secuta est euestigiò totius capitis integritas , & puritas indilata : ita vt , cùm sequenti die ad conscholares intrasset , omnibus inopinata in eo sanitas appareret : & quia res tam manifesta celari non poterat ; irruunt ad puerum sigillatim , & causam tam subitæ sanitatis inquirunt . Aperuit ille , quantum potuit , quod factum fuerat , simplicitate conseruata : sed corde exhibitam sibi Domini misericordiam collaudabat . Verè Dominus memor dictorum , quæ per Prophetam locutus est : Tu , Domine , laborem & dolorem consideras . tibi enim derelictus est pauper : orpha-

*psalm.9.*

orphano tu eris adiutor. Et iterum:  
Ego autem mendicus sum & pauper: Psalm. 39.  
Dominus sollicitus est mei.

## C A P V T X I.

*Ministerio Fratrum applicitus à Virgine  
Matre instruitur.*

VERVM vbi, post profectum scien-  
tiæ & morum , puer Domini à  
Frisia ad propriam Ecclesiam est re-  
uersus ; ad seruiendum Fratribus in  
Refectorio cum Fratre alio , se maio-  
re, est aliquando deputatus : quod of-  
ficium licet deuotus impleret ; trista-  
batur tamen non modicum , quòd  
præ corporali labore continuo non  
potuit consuetis & debitis orationi-  
bus, lectioni ac contemplationi vaca-  
re. Doluit enim auferri à se partem  
optimam, quam iamdudum elegerat:  
videlicet , aut sedere ad pedes huma-  
nitatis tuæ, Domine I E S V , aut audire  
verbum tuum , quod & ore & exem-

C plis